



1. Arnoldi Joh. Conr. diff. de Deo, Mundo et Homine, Gisse 1719.
2. Baumgarteni Sijism. Jac. diff. ad verba Rom: A. V: 4. Hald 1738.
3. Beumleri Marci diff. de libero Nature Tiguri 1797.
4. Gernerii Salam. Theres. de Sacramentis in genere, Wittenberga 1596.
5. Hartmanni Joachimi diff. Sirtens Vati-
cinum Sineonis. Rostochy 1744.
6. Heilbronneri phil. diff. proponens
Antitheria Doctrinae petri Apostoli et
Pontificis Romani, Lauinga 1597.

PROBLEMA:
 VTRVM PER NATV-
 RALEM DEI NOTITIAM, CŒ-
 tra revelatam, salvari quis possit:

Moderatore

CLARISS. ET REVER. VIRO
 DN. IOHANNE GEORGIO VOLCKMARO,
 S. S. Theologiae Licentiato & in Academia VVie-
 tebergensi Professore publico,

Contra Franciscum Puccium
 AD DISPUTATIONEM PRIMAM
 in Collegio studiosorum Theologiae
 privato propositum

à
 M. Iohanne Schrodero Treisensi
 Hasso.

Respondente
 M. Ludovico Hunnio Marpurgensi
 Hasso.



VVITTEBERGAE
 Excudebat Vidua Matthei VVelaci.

ANNO M. D. XCV.



GENERO SIS
ET MAGNIFICIS DO-
MINIS, NICOLAO ET ZDES-
LAO HRSAIN DE HARASS; EQVITIBVS
Bohemis, fratribus; Dominis & Meccœna-
tibus suis humili observantia t
colendis

Theologicam hanc ^{σὺζήτησιν}
offert & dedicat

M. Iohannes Schroderus
Treisensis Hassus,

THESES THEOLOGICÆ.

De naturalis θεωρητικῆς tenuitate.

ΑΦΟΡΜΗ.

Thesis I.



DE vera Hominis Beatitudine, a quam scitè Summi Boni fruitionem definiunt, variè olim à Philo-
sophis fuit disceptatum: qui, ut Augustinus in
Epistola ad Macedonium dicit, beatam vitam ipsi
sibi quodammodo fabricare voluerunt, potiusq̃ patranda,
quàm impetranda putaverunt.

2. **b** Hanc nos, divinis eruditi literis, dicimus Fruitionem
Dei esse, quæ consistat in sempiterna, illustri, plena & sibi suf-
ficiente Dei contemplatione, cognitione, & celebratione; con-
iuncta cum amore eius integerrimo; cum læticiâ limpidissi-
mâ; cum supercælesti virtute & gloriâ: quibus assimilabimur
ipsi, iuxta illud: Nos omnes revelata facie gloriam Domini
speculantes, in eandem imaginem transformamur à clarita-
te in claritatem, tanquam à Domini Spiritu 2. Cor. 3. v. 18.

3. **c** Summum quippe bonum est Deus: à quo res cætera ha-
bent, ut sint, & ut bone sint. Ipse ὑπεραγαθὸς καὶ αὐταγαθότερος.
Ipse sibi beatitudo sua, idemq̃ beatitudo nostra. Omnia ab
ipso, & omnia propter ipsum. Ipse αὐτὸς, principium & finis.

4. Cæterum cum omnes beati esse velint (quod, ut Augu-
stinus aliquando aiebat, nolle non possumus) pauci tamen bea-
titudine potiuntur.

5. Inde oritur *Questio de via perveniendâ ad salutem:*
unde nam cognitio eius scituriis detur.

6. Tripodem Natura consulebant Ethnici: At hac, quod
dici solet, aure, & mente, & oculis cæca quid redderet respon-
si? Ut mirum sit, extitisse, qui Naturam tam disertam consul-
tricem fecerint, inter eos, qui Spiritus sancti oraculis operam
navasse videri volunt.

a
Augustinus li.
8. de civitate
Dei cap. 8.
Item lib. 10.
cap. 1 & lib.
19. cap. 1.
Epist. 52.

b
1. Cor. 13. v.
12.) Iob. 17.
v. 3.) Apoc 7.
v. 10. Esa. 6.
103.) Psal. 83
v. 5.) Ps. 27.
v. 28.) Ps. 16.
v. 11. Apoc. 21.
v. 4.) 1. Cor.
15. v. 42. 43.
44.) Apoc.
23. v. 22. Phil.
3.) v. 21.

c
Damasc. lib.
1. orth. fid. c. 8.
Ap. 22 v. 13.
Matt. 7. v. 14
Luc. 13. v.
23. 24.
Matt. 19.
v. 17.
Marc. 10. v. 17

A 2 Fecer



7. Fecerant hoc Cinglius, Latomus, Thammerus, & alij, qui Gentes citra Christum salvari potuisse, si legem animis inscriptam opere implevissent, censuerunt.

8. Eandem insaniam paulo secius ante pauculos annos insanivit circumcellio quidam Franciscus Puccius Filidinus, patriâ Florentinus; qui in libello, publicis typis evulgaro, quem Assertionem Catholicam de Christi servatoris efficacia inscripsit, ἀναρχωτῶν πρὸς τὴν ἀλήθειαν, eiusmodi efficientiam meriti Christi fingit, cuius participes omnes fiant, etiamsi hoc ignorent, si non repugnent Naturæ ac Rationi, quæ singulis suadeat, ut Deo fidem habeant: Et hanc esse salutem fidem, cuius hypostasis sive substantia sit in singulis hominibus: quod omnes naturaliter credamus, Deum esse beneficum sui studiosis: indidemque neminem habendum esse pro infideli, nisi cum obiectum fide dignissimum (Deum) negligat, & communem rationem contemnat.

Pag. 30.

Pag. 44.

Pag. 50.

Pag. 14.

Pag. 19.

Pag. 26.

Pag. 26.

Pag. 26.

Pag. 26.

Pag. 26.

Pag. 26.

Pag. 26.

Pag. 26.

Pag. 26.

Pag. 26.

Pag. 26.

Pag. 26.

Pag. 26.

Pag. 26.

Pag. 26.

Pag. 26.

Pag. 26.

Pag. 26.

Pag. 26.

Pag. 26.

Pag. 26.

Pag. 26.

Pag. 26.

Pag. 26.

Pag. 26.

Pag. 26.

Pag. 26.

Pag. 26.

9. Quoniam igitur inter Disputationes Theologicas de verbo Dei, à quibus cæterarum ducimus principium, merito primum locum illa tenet, qua de naturali Dei in nobis notitia disquiritur; ut è consideratione indigentia, ignorantia, & vanitatis nostræ, verbi divini necessitas compareat: præsentem hanc συζητησιν adversus istud Puccianum commentum instituemus.

ZHTOIMENON.

10. **Quæsitum itaq; hoc fuerit: VTRVM HOMO PER NATURALEM DEI NOTITIAM, CITRA REVELATAM, SALVARI POSSIT.**

ΕΚΘΕΣΙΣ ΤΩΝ ΔΙΑΔΟΜΕΝΩΝ

1. Τὸ ἕνδεκάτῃ.

11. **Vocabulo Hominis intelligimus universum genus humanum, sicuti illud in statu corruptionis, in quem per lapsum primorum parentum deventum est, consideratur.**

2. Τὸ ἐπομένῃ.

12. **Noticiam Dei naturalem, qua à Revelata distinguitur,**

tur.

tur, dicimus illam de Deo eiusq; voluntate cognitionem, quam ex natura, omnium hominum communi, ducimus & haurimus.

13. Notum enim DEVM eiusq; voluntatem aliquosq; homini esse, ostendunt gentes, quae, Paulo teste, Deum, quem cognoverunt, non sicut Deum glorificaverunt: & cum cognovissent iustitiam Dei, non intellexerunt. Rom. I. v. 21.
ibid. v. 32.

14. Nulla gens inquit Cicero, tam fera, nemo omnium tam est immanis cuius mentem non imbuerit Deorum opinio. Item: De hominibus nulla gens est, neq; tam immanis, neque tam fera, quae non, etiamsi ignoret, qualem habere Deum debeat, tamen habendum sciat.

15. Inde multiceps Gentium Idololatria. In qua seipsas ad cultum lignorum & lapidum abicere maluerunt, quam Numinis videri expertes. Numen igitur aliquod esse & colendum esse statuerunt.

16. Idem monstrant pavores conscientiarum in his, qui perpetratis atrocibus sceleribus, quum à metu humanorum iudiciorum immunes essent, nihilominus horribiles conscientiae cruciatus (è quibus Poetarum Furiae sunt natae) sustinuerunt. Exempla praebent Alexander Magnus, Philippus pater Demetrii & Persei, Caligula, effrenatissimus Deo contemptor, Nero matricida, Anastasius, & alij.

17. Et deniq; $\kappa\omicron\iota\upsilon\alpha\iota\ \epsilon\upsilon\upsilon\omicron\lambda\alpha\iota$, ea praecipue, quae sunt practicae, & moralis Philosophiae fontes continent: ut sunt, Discrimen honestorum & turpium: Notiones de aequo & bono. Item istae: Deum colendum iustitiam: Deum recte facta velle & probare: secus facta improbare: & vindicem esse scelerum.

18. Quas Paulus appellat $\delta\iota\upsilon\alpha\iota\omega\mu\alpha\ \text{Dei}$, quod sint quaedam quasi reliquiae legis divinae, quae conservantur in parte animae, quam Philosophi vocant $\Sigma\upsilon\lambda\lambda\omicron\gamma\iota\sigma\mu\ \epsilon\upsilon\phi\omicron\upsilon\lambda\omicron\gamma\iota\sigma\mu$ & quae Propositionem maiorem in Syllogismo Practico praebet: quemadmodum $\Sigma\upsilon\lambda\lambda\omicron\gamma\iota\sigma\mu\ \epsilon\upsilon\phi\omicron\upsilon\lambda\omicron\gamma\iota\sigma\mu$ quam Paulus $\epsilon\upsilon\phi\omicron\upsilon\lambda\omicron\gamma\iota\sigma\mu\ \text{minor}$ vocat, Propositionem minorem. Rom. 1. v. 32.
Rom. 2. v. 15.

Damasc. lib. 19. *Ceterum Naturalis ista Dei notitia est duplex: In-*
I. de orthod. 14, γινώσκοντες τὸ θεῶν σύμφοτον: ἢ ἐπικτητῶν, aliunde acquisita,
fid. cap. 1.

20. Innata, quæ ipsis natura principijs animis nostris est
insita, & cuius sibi quisq; ab utero magister est.

21. De qua Cicero: Omnibus, ait, innatum est, & in ani-
mo quasi insculptum est, esse Deos: quales sint, varium est:
Rom. 2. v. 14. esse, nemo negat. Et D. Paulus: Cum gentes, quæ legem non
15. habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi le-
gem non habentes ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis
scriptum in cordibus suis.

22. ΕΠΙΚΤΗΤῶν est naturalis Dei noticia, quæ per νόησιν
ratiocinando acquiritur. Ratiocinatio enim est homini natu-
ralis, ut ostendit intellectus ordinis in Syllogismo, quem Pro-
cessum syllogisticum vocant: qui deprehenditur etiam in ho-
minibus, doctrina non tinclis.

23. Ista verò Ratiocinatio (quæ ἐμφυτῶν noticia confir-
matur & adaugetur) fit ex effectis Dei.

24. Effecta Dei sunt creatio & fabrica mundi, eiusq;
conservatio & gubernatio per opera tum ordinaria tum ex-
traordinaria, quæ κατ' ὁικονομίαν facit: è quibus intelligitur,
& quòd sit Deus, creator omnium, & quòd sit omnipotens, bo-
nus, sapiens, iustus &c.

Heb. ix. v. 3. Vnde Epistola ad Hebraeos secula invisibilium rerum

Rom. 1. v. 19. spectacula appellat: Et Paulus Ratiocinationem istam καθό-
& 20. γασιν vocat: Quod, inquit, de Deo cognosci potest, manife-
stum est in ipsis, Deus enim illis manifestavit. Invisibilia
enim Dei iam inde à condito mundo per ea, quæ facta sunt,
intellecta conspiciuntur: sempiterna quoq; eius virtus & po-
tentia.

26. Adeò non sine testimonio (ut Paulus rursus dicit) se-
metipsum reliquit Deus, benefaciens de cælo, dans pluvias, &
A 7. 14. r. 16. tempora fructifera, implens cibo & læticia corda nostra.

27. Altera Attributi particula est de Noticia Revelata.

28. Est autem Notitia Revelata, desinente D. Chem-
nitio,

nitio, qua revelatur per Verbum, in quo Deus & se & suam voluntatem patefecit, eamq. patefactionem illustribus miraculis confirmavit.

29. Tertia pars τῆς ἐπομένῃς est de salvatione: Cuius vocabuli ambiguus est significatus in sacris literis, ut apparet ex illo Christi: Qui volet animam suam salvare, perdet eam: & qui perdidit, salvabit eam. Luc. 9. v. 24.

Matth. 8. v.

30. Aliàs enim significatur eo salvatio corporalis, qua à vita presentis incommodis servamur vel liberamur; aliàs verò liberatio spiritualis.

26. Iud. 3.

v. 9.

Matth. 1, v. 21

31. Quae duplex est: Vna, per quam consecuturi sumus salutem & vitam aeternam post hanc vitam: Altera, quae pijs in hac vita contingit, & consistit in remissione peccatorum & iustificatione; qua ratione Luc. 19. dicitur: Hodie salus domui huic contigit.

v. 9.

32. Quanquam hanc pleriq. Theologorum de iure salvationis exponant: ut hac in vita salvati dicamur, quia ius salvationis, in altera vita secutura, per Iustificationem acceperimus. Sed res eodem redit.

ΔΙΟΡΙΣΜΟΣ ΤΟΙ ΖΗΤΟΥΜΕΝΟΙ.

33. Nos de priorè illa querimus potissimum: Utrum videlicet ex sola revelata notitia salventur homines: an verò ex naturali etiam, ita, ut si quis hanc solam habeat, & dictamen eius sequatur, salutem aeternam, citra revelatam illam, consequi possit.

34. Puccius negat prius, affirmando posterius: nostrates ἀντιφατικῶς prius affirmant, negantes posterius. Quorum sententiam defensuri, κατασκευαστικῶς, argumentis firmissimis, è locis sacrae scripturae extractis, ostendemus, solam revelatam Dei noticiam salvificam esse. Postmodum Pucciani commentum ἀνασκευῶν subyciemus,

ΚΑΤΑΣ.

Locus I.

1-Cor. 2. v. 7. 35. Sapientiam (loquimur) non huius seculi, neq; principum huius seculi, qui destruuntur, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante secula, in gloriam nostram, quam nemo principum huius seculi novit.

1-Cor. 2. v. 21. 36. *Huc & ille:* Quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.

37. *Inde Argumentamur.* Quod sapientes huius seculi non potuerunt cognoscere, id non nisi ex revelatione poterit cognosci.

Sapientiam Dei salvificam sapientes huius seculi non potuerunt cognoscere.

Ergo non nisi ex revelatione potest cognosci: & vi consequentis, per revelatam solam noticiam homines salvantur.

38. *Propositio manifesta est.* Si enim in natura facultate fuisset sita, utiq; assecuti eam fuissent sapientes, qui ingenium, & industriam, & diligentiam attulerunt ad investigationem eius.

39. *Τὸ μεταλαμβάνόμενον perspicuum est ἐ locis citatis.* Quorum in primo sapientia Dei, prædestinata in gloriam nostram, in mysterio dicitur abscondita: Et distinguitur à sapientia principum huius seculi, qui destruuntur. In altero redditur causa, ob quam Deus prædicari sapientiam salvificam suam faciat: nempe, quia mundus sapientiâ suâ illam non comprehenderit.

Locus II.

Eph. 4.
v. 17. 18.

40. Hoc igitur dico & testificor in Domino, ut iam non ambuletis, sicut & aliæ gentes ambulat, in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei, per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum.

Ex

41. Ex his Apostoli verbis concludimus: Si gentes salutis viam per cæcitatem cordis ignorarunt, ex sola revelata noticia cognosci illa poterit.

Antecedens est verum.

Consequens igitur. Et vi consequentis per solam revelatam notitiam homines salvantur.

42. Connexum hypotheticum firmum est. Quoniam enim per cordis cæcitatem ignorarunt salutis viam; sequitur, ne quidem potuisse eos cognoscere. Siquidem, ut non is cæcus est, qui non videt, sed qui videre non potest; Ita cor non est cæcum, quòd non videt, cognoscit, & intelligit, sed quòd non potest videre, cognoscere, intelligere. Quod autem per naturam neq; cognoscitur, neq; cognosci potest, ex sola cognoscitur revelatione.

43. Assumptum ex allato Pauli testimonio est desumptum.

Locus III.

44. Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia^{2. Cor. cap.} Deo, ad destructionem munitio-^{& 10. v. 4.} num, consilia destruentes, & omnem altitudinem, extollentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum, in obsequium Christi.

45. Huc etiam referri possunt sequentes loci:

Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum.

Scriptum est: Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi sapiens? Vbi scriba? ubi inquisitor seculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum.

Item: Sapientia carnis inimica est Deo. Rom. 8. v. 7.

46. E quibus & consimilibus locis sic argumentamur: Si sapientia Dei salvifica per sapientiam mundi non solum non potest cognosci, sed etiam cum ea pugnat; manet, salvifica

B cam

*sicam Dei sapientiam è sola revelatione percipi.
Antecedens est verum.*

De Consequentis igitur veritate dubitandum non est.

47. *Connexi hypothetici veritas in promptu est Si enim salvifica Dei sapientia natura esset consentanea, non aboleret sapientiam naturalem: aut si per hanc quoque salutem capefferre liceret, non foret, cur omnis intellectus noster in captivitatem redigendus esset, & videndum, ne quis nos per humanam sapientiam deciperet.*

48. *Assumpti veritas nititur locis, supra annotatis.*

Locus III.

1. Cor. 2. v. 14 49. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter dijudicatur.*

Rom. 8. v. 5. 50. *Simile huic est, quod ad Romanos octavo dicitur: qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt; qui verò secundum Spiritum sunt, quæ sunt Spiritus sentiunt. Nam prudentia carnis, mors est; prudentia autem Spiritus vita & pax.*

51. *Hinc Argumentum: Quicumque nequeunt intelligere ea, quæ sunt Spiritus Dei, non possunt salutis fieri compotes. Quicumque naturalem tantum Dei noticiam habent, nequeunt ea intelligere.*

Ergò quicumque naturalem tantum Dei noticiam habent, non possunt salutis fieri compotes. Et ἐπομένως per solam revelationem homo Dei noticiam nemo salvari potest.

52. *Propositio plana est Prudentiam enim spiritus pacem & vitam: prudentiam carnis verò mortem asferre intelligimus.*

53. *Assumptio item plana est Qui enim naturalem tantum Dei noticiam habent, sunt homines animales, qui Spiritum Dei non habent, ideoque quæ Spiritus Dei sunt, non sentiunt, sed quæ carnis sunt, sapiunt.*

Locus

LOCUS V.

54. Non erubescō Evangelium Christi: virtus enim Dei est ad salutem omni credenti, Iudæo primū & Græco Iustitia enim Dei in eo revelatur: ex fide in fidem. Rom. 1. v. 16. 17.

55. *Hæc adiungi possunt:* Nunc sine lege manifestata est iustitia Dei. Rom. 3. v. 21.

Salutem consecuti estis, cum audissetis verbum veritatis, Evangelium salutis vestræ. Ephes. 1. v. 13.

56. *Ex his concludimus:* Si iustitia, qua salvamur, ex solo Evangelio revelatur, homines per solam revelatam noticiam salvantur.

Antecedens est verum. Verum igitur & Consequens.

57. Quippe unica tantum est iustitia salvifica, quam Apostolus ad Romanos cap. 1. 2. & 3. explosâ iustitiâ operum ut 2. Cor. 5. v. triusq. legis, Mosaicæ & Naturalis, gravissimè asserit: Vnde 18. 19. Iustitia Dei appellatur Et Evangelium Ministerium & verbum reconciliationis, qua Deus mundum sibi reconciliârit, dicitur. Qua reconciliatione opus non fuisset, si alia iustitia salvifica in mundo fuisset, præter eam, quam verbum reconciliationis patefecit.

58. Connexum hypotheticum est perspicuum: Quod Evangelium per naturam nemini sit notum. Est enim mysterium voluntatis Dei Ephes. 1. quod absconditum fuit à seculis & generationibus; nunc autem manifestatum est sanctis eius, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ, mysterij huius in gentibus. v. 9. Ephes. 3. v. 45. 6. Col. 1. v. 26 27.

59. Assumptionem probant loci citati.

LOCUS VI.

60. Hæc est vita æternâ, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti, Iesum Christum. Ioh. 17. v. 3.

61. *Ex quo argumentamur:* Si vita æterna consistit in sola Dei & Filij eius Iesu Christi cognitione, per solam revelatam noticiam salvantur homines.

Prius est verum. Quare & posterius.

62. Connexum hypotheticum negari non potest: Quia cognitio Dei & Filij eius Iesu Christi ex sola revelatione nobis obtingit.
63. Id quod monstrant loci sequentes:
- Ioh. 1. v. 18. Deum nemo vidit unquam: Filius Dei qui est in sinu Patris, enarravit nobis.
- Matth. 11. v. 27. Nemo novit Filium, nisi Pater. nec Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.
- Matth. 16. v. 17. Beatus es, Simon (dicit Christus ad Petrum, auditâ eius de se confessione) Bariona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis.
- I. Ioh. 5. v. 20. Scimus, quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus Deum verum, & simus in Filio eius Iesu Christo. Hic est verus Deus & vita aeterna.
- Act. 4. v. 12. Assumptum nititur verbis Christi suprâ positis: In quibus propriè agit de ijs, quibus dare velit vitam aeternam. Iis nimirum, quos Pater sibi dederit qui cognoscant Patrem, & à patre missum Filium Iesum Christum: siquidem non est (teste Petro) in aliquo alio salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.

Locus VII.

- Ioh. 6. v. 40. 65. Hæc est voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam aeternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.
- Ioh. 3. v. 16. 66. Item: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.
- Ibid. v. 18. Qui credit in eum (Filium Dei) non iudicatur. Qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credidit in nomine unigeniti Filij Dei.
- Ibid. v. 35. Qui credit in Filium, habet vitam aeternam: qui autem incre-

incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Sine fide impossibile est placere Deo.

67. *Ex quibus & consimilibus sequentem teximus conclusionem. Si per solam fidem obtinetur salus, sequitur, homines ex sola revelata notitia salvari.*

Antecedens est verum.

De consequentis igitur veritate dubitari non potest.

68. *Connexum hypotheticum patet. Fides enim & salvifica $\pi\lambda\eta\zeta\omicron\phi\omicron\gamma\iota\alpha$ lumen non è tenebricosis radijs naturalis notitiae possunt accendi, sed ex sola revelata Dei notitia.*

69. *Id quod docent sequentia Scripturae testimonia. Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine predicante?*

Rom. 10.
v. 14.

Fides non est omnium.

2. Thess. 3.
v. 2.

70. *Assumptum confirmant testimonia scripturarum superioris allata.*

71. *Hactenus disputatione $\kappa\alpha\tau\alpha\sigma\kappa\epsilon\upsilon\alpha\sigma\iota\kappa\eta$ sententiae nostrae veritatem ostendimus. Veniendum nunc ad $\epsilon\lambda\epsilon\gamma\kappa\tau\iota\kappa\omega$, quam praecis expediemus.*

ΑΝΑΣΚΕΥΗ.

Argumentum I.

72. *Si quis per naturalem notitiam salvari potest; sequitur, S. S. Trinitatem per naturam cognosci.*

Consequens est falsum, & $\alpha\theta\epsilon\omicron\lambda\omicron\gamma\omicron\upsilon$.

Falsum igitur & Antecedens.

73. *Connexum hypotheticum perspicuum est ex ijs, quae superius proposita sunt: è quibus cognovimus, sine SS. Triados cognitione salvari neminem posse.*

74. *Assumptum itidem patet ex superioribus: ubi ostensum fuit, ex sola revelatione Patrem, Filium, & Spiritum sanctum cognosci.*

75. *Idem probari potest hoc dilemmate. Si per naturam*

B. 3.

S. Trinitas.

S. Trinitas cognosci posset, aut per Notitiam naturalem innatam cognosceretur, aut per acquisitam.

At neque per innatam; alioqui cognoscerent eam omnes homines; neq; per acquisitam; quia opera Trinitatis ad extra sunt indivisa: ut Theologorum axioma habet.

Ergo per naturam S. Trinitas cognosci non potest.

Argumentum II.

76. Si per notitiam naturalem aliquis salvari posset, per notitiam naturalem aliquis posset renasci.

Consequens est absurdum.

Absurdum igitur Antecedens quoq;.

77. Propositionis connexae ratio sumitur ex dicto Christi Ioh. 3. Nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei. ἄλλοθεν ἔσθι; quia caro sit, quod ex carne natum est: & quod ex spiritu natum est spiritus sit.

*Vers. 3.
Vers. 6.*

78. Assumptum nemo negabit. Quemadmodum enim seipsum nemo generare potest; ita nec quis seipsum regenerare potest. Regenerationis verò causa à Christo edisseruntur his verbis: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei.

Ioh. 3. v. 5.

Argumentum III.

79. Si homines per notitiam naturalem salvari potuissent, non opus fuisset revelatione in veteri Testamento, non predicatione Evangelij in Novo Testamento.

At Consequens absurdum; quòd cum sapientia Dei pugnet.

Ergo & Antecedens.

Argumentum IIII.

80. Si per naturalem notitiam & fidem illam, qua quis per naturam credit, Deum sui studiosis (quod Pulcius contendit) esse beneficum, quispiam salvari posset, Diaboli etiam possent salvari. ἄρβις.

Conses

81. Consecutio manifesta est. Quippe Diabolus, innumeris
edoctus exemplis, rectius & melius, quam quisquam sapien-
tissimorum hominum illud novit. Adde, quod Diabolos fidem
(generalem illam) habere Iacobus affirmat.

Iacob. 2. v. 19

82. Haecenus per naturalem Dei notitiam gentes salvari
non potuisse astruximus eademq; opera confecimus, neminem
per naturalem notitiam salvatum esse. Quippe sublata potens-
tia, actus est sublatus.

83. Quoniam verò Puccius non tantum potuisse fingit, sed
etiam actu salvatos quosdam esse nugatur, dum affirmat sin-
gulis per naturam inesse hypostasim salvificae fidei, qua sal-
ventur, qui Natura non resistent: tria argumenta ἀπαγορεύει
addimus, quibus neminem per naturalem notitiam actu sal-
vatum esse evincitur.

Argumentum V.

84. Si per naturalem Dei notitiam salvari quis potest, Cap. 12. 3.
ἐκείνους & erit demonstratio Apostoli, qua in epistola ad Rom.
omnes homines obnoxios damnationi facit. Excipiet enim
Puccius eos, qui natura congruenter vixerunt: aut antequam
discretionis annos attigerint, è vita excefferunt.

Consequens absurdum.

Quare Antecedens quoq; absurdum est.

Argumentum VI.

85. Si per naturalem Dei notitiam salvari quis posset, est-
am in religione, qua Deum autorem non habeat, salvari quis
posset: ut sentit Mahometes in Alcorani azoara, 2. pag. 10, in-
quiens: Generaliter, quoniam omnis rectè vivens, Indaus seu
Christianus, seu Lege suâ relicta, in aliam tendens, omnis
scilicet Deum adorans, boniq; gestor, indubitanter divi-
num morem assequitur,

Consequens est falsum.

Quare & Antecedens est falsum.

Connexum

86. Connexum manifestum est. Neminem enim sine cultu Dei, & religione salvari posse ὁμολογούμεως verum est. Quae si non autorem habet Deum, rationis est αἰδωλον

v. 12. 13.

87. Assumptum probatur: quia extra Christum nulla salus. Vnde ad Ephes. 2. de gentibus dicitur: Eratis in illo tempore sine Christo, alienati à repub. Israel, & hospites testamentorum promissionis, spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Iesu, vos qui aliquando eratis longè facti estis prope. Item: Actor. 12. v. 14. 15: Deum vivum, qui fecit caelum & terram, mare, & omnia, quae in eis sunt, dimisisse in praeeteritis generationibus gentes vias suas ingredi. Sed quae vana fuerunt: ut conspicuum est è versu 14.

Argumentum VII.

88. Si per solam naturalem Dei notitiam gentes salvari potuerunt, ut salvatas Puccius asserit, sequitur esse quosdam electos, qui non sint vocati.

Consequens est ἀδιόλογον.

Quare & Antecedens.

89. Connexum hypotheticum verum est: quia omnes, qui salvantur, electi sunt.

Assumptum probatur ex Paulo, cuius verba haec sunt: Rom. 8. v. 30. quos praedestinavit, hos & vocavit.

90. Sed satis. Dilutionem Argumentorum ἀπατητικῶν, quibus Puccius ad defensionem iugamenti sui utitur, committimus ipsi Disputationi.

Tu nos æthereo spiramine, Christe,
guberna.

ad 6

99 A 6906

ULB Halle 3
002 633 388




5A


6

VD17

Retro







LEMA:
 PER NATV.
 NOTITIAM, CL
 alvari quis possit:

eratore
 REVER. VIRO
 RGIO VOLCKMARO,
 tiato & in Academia VVis
 rofessore publico,

ciscum Puccium
 IONEM PRIMAM
 osorum Theologiae
 propositum

à
 Schrodero Treisensi
 Hasso.
 ondense

Junnia Marpurgensi
 Hasso.



EBERGAE
 ia Matthei VVelaci.

M. D. XCV.

